

nem respondetur, quod amor liber supponit necessarium, sicut etiam supponit ipsam naturam tamquam principium, et radicem, in qua continetur, non tamen est necesse, quod amor liber superaddat ad necessarium majorem perfectionem, sed prout fuerit necessarius amor, qui præsupponitur ad liberum. Si enim necessitas oriatur ex imperfectione, et coarctatione iudicii, tunc liberum superaddet majorem perfectionem, quia habet majorem universalitatem, tollitque coarctationem illam. Si vero amor necessarius proveniat ex plenitudine, et adæquatione totius indifferentiæ, et universalitatis in operando, quæ est in voluntate, tunc liberum non addit perfectionem majorem, sed minorem, eo quod in modo procedendi non habet majorem universalitatem, quam ille amor necessarius, et in contingentia, et mutabilitate habet majorem imperfectionem, et sic aliquando actus necessarius præsupponitur ad liberum, et ordinatur ad illum ordinatione potentiâli, et imperfecta, quia proceditur de imperfecto ad perfectum, ut in motibus indeliberatis, et subitis: aliquando vero necessarium præcedit liberum, et continet illud continentia quadam eminenti et perfecta, ut in visione beatifica, qua necessitatur voluntas ex plenitudine, et adæquatione summi boni cum tota indifferentia voluntatis.

XLIX. Contra ultimam conclusionem arguitur ad probandum, quod in brutis non sit univoce ratio voluntarii: nam licet in eis non sit cognitio rationalis, sed solum sensitiva, quæ univoce convenit cum nostra sensitiva, tamen ipsa rationalis cognitio non potest convenire brutis, nisi secundum quid, et participative. Ergo etiam voluntarium non dicetur de eis nisi participative, et secundum quid, et

analogice. Consequentia patet, quia voluntarium sequitur cognitionem, et dicitur tale a voluntate, ut docet D. Thomas in hoc articulo secundo ad primum: «Et ideo, inquit, potest trahi voluntarium ad ea, in quibus invenitur participatio voluntatis, sicut in brutis.» Ergo sentit D. Thomas solum inveniri in brutis voluntarium participative, in nobis autem essentialiter; ergo non univoce. Et clarius quæst. xxiv de veritate, articul. ii ad primum, ubi dicit: «Quod voluntarium ponitur in brutis, non secundum quod convenit cum voluntate, sed ut opponitur violento.» Ergo voluntarium, ut dicitur a voluntate, non est univoce in nobis, et in brutis, sed ut opponitur violento, quod est esse voluntarium secundum quid, quia non est propria ratio voluntarii, sed commune etiam naturali.

L. Et confirmatur, quia licet bruta cognoscant objectum, et bonitatem ejus appetant, quia ab illa moventur, non tamen finem talis objecti, quia finis non potest cognosci sine aliqua habitudine ipsius ad media, vel mediorum ad ipsum; quam habitudinem, seu relationem non cognoscit brutum, quia non comparat unum alteri: aliud est autem cognoscere objectum, aliud finem objecti etiam simpliciter cognitione, quia finis non dicit bonitatem utcumque, sed ut finalizantem media, et consequenter cum respectu, et habitudine ad illa. Et si hirundo cognoscit paleam, et colligit eam ad nidificandum, non tamen intelligit finem, ad quem servit palea, vel nidus; ergo non ducitur ex fine ut cognitio sub ratione finis; ergo neque ducitur ex voluntario proprie dicto, quia voluntarium est cum cognitione finis. Similiter bruta proposito objecto moventur instinctu auctoris naturæ, non vero ex proprio iudicio, et co-

gnitione finis ducuntur, ut docet sanctus doctor, secundo contra gentiles, capit. XLVII, ratione III, licet moveantur ab intrinseco vitaliter, sic enim etiam moventur plantæ, et arbores, et tamen non habent voluntarium; ergo neque bruta.

LI. Respondetur verissimum esse quod bruta non habent, nisi cognitionem sensitivam, et quod in ea conveniunt univoce nobiscum, rationali enim omnino carent, sed tamen rationalis ista cognitio, quam nos habemus convenit etiam in aliquo genere univoce cum cognitione sensitiva, quia intellectivum, et sensitivum in eodem genere, seu prædicamento sunt. Unde negamus, quod voluntarium derivatum ex utraque cognitione, non conveniat univoce in genere voluntarii, sicut etiam intellectivum, et sensitivum conveniunt univoce in ratione cognoscitivi, licet ipsa specifica ratio cognoscitivi rationalis, vel voluntarii rationalis, seu perfecti non nisi participative, et secundum quid conveniat brutis, sicut homo dicitur analogice, et metaphorice leo, univoce autem animal, in quo convenit cum leone.

LII. Et cum instatur, quod voluntarium dicitur a voluntate, respondetur quod dicitur a voluntate, ut a quo nomen imponitur, tamquam a principali in genere appetitus, non tamen solam voluntatem significat, sed etiam quemlibet appetitum elicitem, quia aliud est a quo nomen imponitur, aliud id quod significat. Vel etiam dici potest, quod voluntarium dicitur a voluntate non specificè sumpta, pro voluntate rationali, sed a voluntate generice sumpta, prout abstrahit a rationali et irrationali, et solum significat appetitum elicitem, ut regulatum cognitione, et tale voluntarium dividitur in istas duas species voluntarii perfecti, ut in nobis,

et imperfecti, ut in brutis. Ad locum D. Thomæ ex quæstione xxiv de veritate, dicitur quod ibi inquirebat D. Thomas, an in brutis sit liberum arbitrium, et consequenter voluntarium perfectum, et respondens argumento, quod in brutis est voluntarium, ergo et liberum, respondet: «Quod in brutis est voluntarium, non prout convenit cum nostra voluntate (scilicet specificè, et prout est rationalis voluntas) sed ut opponitur violento, quia sponte sua faciunt.» Ubi non negat esse in brutis voluntarium univoce secundum genus voluntarii, sed non voluntarium illud specificum, quod invenitur in nostra voluntate, hoc enim est liberum, et non convenit brutis, nisi secundum aliquam metaphoram.

LIII. Ad confirmationem negatur antecedens, et dicimus, in brutis esse cognitionem finis non perfectam, sed simplicem, ut docet D. Thomas in articulo secundo hujus quæstionis. Et diffinit S. Thomas perfectam cognitionem finis, quando non solum apprehenditur res, quæ est finis, sed etiam cognoscitur ratio finis, et proportio ejus, quod ordinatur ad finem ipsum: imperfectam autem, seu simplicem cognitionem finis, quæ in sola finis apprehensione consistit sine hoc, quod cognoscatur ratio finis, et proportio actus ad finem. Ubi ly ratio finis, ut optime notat ibi Cajetanus, non est idem quod quidditas finis, quasi perfecta cognitio finis sit sola cognitio quidditativa finis. Constat enim cognitionem quidditativam non esse in omnibus, sed solum in sapientibus, cognitio autem perfecta finis, ut distinguitur contra cognitionem imperfectam, quæ est in brutis, invenitur in omnibus hominibus. Intelligitur ergo per ly ratio finis, ipsa ratio formalis finalizandi, seu munus, et offi-

cius finis non quomodocumque, sed ut correlative, et commensurate se habet ad media, et ad alios effectus finalizatos a se, eo quod D. Thomas utrumque requirit ad perfectam cognitionem finis, scilicet quod cognoscatur ratio finis, et proportio ejus quod ordinatur ad finem, quod quidem cognoscitur, vel in ipso exercitio dum comparat unum alteri, et movetur de uno ad alterum, vel saltem potest sic movere, et cognoscere si velit.

LIV. Cæterum bruta ita cognoscunt bonitatem finis a quo moventur, et convenientiam mediorum ad ipsum, dum talia media quærunt, et apponunt, quod non cognoscunt illa ex comparatione et collatione unius cum alio, sed ex instinctu naturæ: sicut hirundo colligit paleam non solum quia videt colorem, sed quia cognoscit in ea utilitatem, et convenientiam ipsius pro constructione nidi. Non tamen istam utilitatem, et convenientiam elicit ex ipsis objectis per collationem, et comparationem inter se, sed ipso instinctu naturæ per species insensatas emissas ab objectis simplici representatione, cognoscit istas intentiones, verbi gratia, inimicitiam ut ovis in lupo, utilitatem ut hirundo in palea, et similia, quæ dicuntur rationes insensatæ. Sic ergo cognoscit per instinctum, et simplicem representationem bonitatem finis, et convenientiam medii, non autem cum collatione, et comparatione. Et hæc cognitio sufficit ad rationem voluntarii absolute, sed non perfecte.

LV. Ad id quod dicitur de principio intrinseco se movente, respondetur quod bruta se movent a principio intrinseco quantum ad elicentiam actus, quia vitaliter moventur; non tamen se movent quoad determinationem finis, et mediorum. Et cum non comparent, et

conferant objecta ipsa inter se, non possunt se movere ex uno objecto ad determinandum aliud, quod prosequendum est, cum non possunt talem determinationem ex ipsis objectis elicere, quia carent collatione et discursu, oportet quod accipiant illam per instinctum impressum ab auctore naturæ. Et ideo in determinando finem, vel media præcise moventur, et non se movent. Et quando D. Thomas dicit in loco supra citato in secundo contra gentiles, quod bruta non se movent, loquitur expresse de motione sui perfecta per liberum arbitrium, et collationem unius cum alio, ita ut habeant dominium sui actus; non de motione spontanea, et per instinctum; non de voluntario imperfecto, ut patebit legenti ipsum locum.

### ARTICULUS III.

*Utrum omissio possit esse voluntaria absque omni actu; et absque obligatione?*

I. Variæ difficultates sub isto titulo comprehenduntur, quæ quia inter se connexionem habent, et affinitatem, et ex eisdem principiis resolvuntur, simul a nobis tractandæ sunt.

#### DUO NOTANDA.

II. Primum est, quid requiratur, et concurrat in omissione de qua tractamus in præsentibus, quæ scilicet spectat ad tractatum moralem: secundum quot modis dicatur voluntarium, quod in tali omissione reperiri potest.

III. Circa primum, in omissione de qua agimus in præsentibus concurrunt duo. Primum est ipsa cessatio

actus, et effectus ex illa secutus, verbi gratia, ex omissione gubernandi navem sequitur naufragium. Intelligitur autem cessatio actus privatio illius non quomodocumque causata, verbi gratia, ex aliquo impedimento extrinseco, quod in manu nostra non sit, verbi gratia, ex defectu concursus divini, vel ex defectu cognitionis, aut ex alio simili; sed causata ex ipsa voluntate, sic enim proprie dicitur omissio qualis in præsentibus consideratur, scilicet moralis. Secundo invenitur in omissione ista non solum cessatio ab actu, sed etiam ratio voluntarii, et ratio moralitatis, verbi gratia, quod omissio imputetur vel non imputetur ad culpam: hæc enim diversos respectus dicunt; nam voluntarium præcise respicit voluntatem, et cognitionem tamquam principia sui: imputabilitas vero superaddit obligationem, et præceptum contra quod fiat, quia ubi non est lex, nec prævaricatio.

IV. Potest autem cessatio actus tripliciter intelligi. Primo, per negationem omnis actus tam ex parte intellectus, quam ex parte potentiæ externæ. Secundo, cum aliquo actu, seu advertentia ex parte intellectus, sed cum cessatione actus ex parte voluntatis, et potentiæ externæ. Tertio modo potest voluntas omittere elicendo aliquem actum internum, vel etiam externum circa aliquod objectum, in quo voluntas occupata omittit circa aliud, sicut volendo ludere, aut etiam ludendo omittit audire missam, vel etiam ex aliqua alia occupatione obliviscitur audire; et sic est omissio consecuta ex tali occupatione, vel actu. Similiter circa actum externum potest aliquis puram omissionem externam habere, verbi gratia, dormire aut omnino otiosum esse, licet habeat internum actum, quo vult dormire, aut otiosus manere.

V. Secundum quod notamus est, quod voluntarium in præsentibus multipliciter distingui solet, videlicet voluntarium formale, virtuale, vel interpretativum. Item voluntarium directum, vel indirectum: implicitum, vel explicitum. Et aliqui confundunt in istis divisionibus rationem voluntarii, cum ipsa ratione voliti, quæ tamen distinguenda sunt. Et ita nos dicimus, quod in linea, et ratione voluntarii dicitur voluntarium directum ratione positivæ influentiæ voluntatis in aliquem actum, vel effectum, quatenus scilicet vere, et positive aliquid a voluntate procedit: voluntarium indirectum est illud, quod realiter, et positive, seu physice a voluntate non procedit, est tamen voluntas in tali dispositione, quod posset, vel deberet ab illa procedere, et sic supponit voluntatem cognitione esse præventam, ut si videns aliquid fieri non vult impedire, et præsertim si habet obligationem, quia ratione obligationis res illa pertinet ad se, et moraliter censetur a se procedere, si obligatur ut procedat: et hoc ipsum dicitur voluntarium interpretative, et virtualiter, quia licet de facto non procedat a voluntate, procedit tamen in virtute, et in debito, quia deberet procedere ex vi obligationis; et ratione talis debiti seu obligationis interpretatur, seu explicamus talem fuisse voluntatem (nisi oppositum expresse velit) quia talis esse deberet, et in virtute, seu dispositione volendi talis est: ut patet in epikia per quam interpretatur legem non juxta id quod significat, et sonat, sed juxta id quod voluisset legislator, si talis casus ei occurrisset: nec enim præsumitur, nec interpretati potest, quod aliquis velit nisi id quod debitum est.

VI. At vero considerando ista, non in ratione voluntarii, id est, procedentis a voluntate, sed in ratione,